

RK
374,
38.

X 1903766

II n
5570

DECLARATIO REGIS.

SVPER DE-
CRETVM IN
PERSONAM PRINCIPIS

CONDEI,

ET

DEFECTIONEM ALIORVM PRIN-
cipum, Dominorum & Nobilium, pro-
latum.

PROMVLGATA IN CVRIA SEDENTE REGE
7. Septembr, 1616.



MOGVNTIÆ,

Ex Architypographeio IOANNIS ALBINI.



DECEMBER 1870

1870

1870

PERSONAL

COPIES

1870

PERSONAL



1870

1870


1870

1870





L V D O V I C V S D E I
G R A T I A R E X G A L L I Æ E T N A -
V A R R Æ, O M N I B V S A D Q V O S
hæ peruenerint Salutem.



I Ncredibile dictu est, quàm mœstis, & repu-
gnantibus animis toties nostram auctori-
tem interponere cogamur, ad reprimendos
infelices eorum conatus, qui in Nostri status
ruinâ suam putant statuere felicitatem, & in
prodigiosis ciuiliu bellorum cædibus, licẽ-
tiam ad omne nefas quærunt. Nobis maximè
inuitis accidit, quod remedia ad Nostram defensionem, Nostri-
que Regni salutem, ea esse oporteat, quæ proprium sanguinem
fœdent, eumq; impietatis accusent, tam in Nos, qui loco Patris
sumus omnium subditorum Nostrorum, quàm in communem
patriam, quæ vt mater veneranda, apud omnes populos, etiam
barbaros est in honore. Hoc sanè experimur hodiè, dum iustas
tam de Nostro cognato Principe C O N D E O, quàm de aliis Prin-
cipibus, & Nobilibus, in Nostrum caput coniuratis, in lucem
damus querelas. Quis, oro, videns tum Nostram benignitatem
toties ad illos demerendos profusam, tum animos illorum adeò
ad Nostræ læsionem obfirmatos, immò ad euersionem, non ex-
horrescat, & ingratorum scelus crudele non detestetur? Cum
nuper arma sumpsissent sub prætextu impediendæ confœdera-
tionis (quâ nobilior inter Christianos potest iniri nulla,) & sta-
tus Nostri, eum destruendo, reformandi: Facile erat videre, eos
evanescentes, & à se inuicem consumptos, tandem prostratos
) (2 ad pe-

ad pedes Nostros, Nostræ subiacere Clementiæ. Sed respicientes ad ærumnas, & calamitates, quas Nostris inferebant populis, voluimus instar pietissimi Patris, Nostrorum afflictorum subditorum pendere lytrum, cum Nostræ auctoritatis deiectione, Nostrorum negotiorum ingenti incommodo, & apertissima status Nostri clade. Hæc est causa propter quam in illa pactione Londunensi cognato Nostro, in ea, quæ petebat, cōcesserimus, cui non modo cessimus Dominium de Berry, sed carè admodum refarimus loca omnia, quæ istic sunt munita, imò totam ei subiiciendam Satrapiam, & consensimus, vel vt gratificaremur ei, vel vt suas dimitteret copias, tam grandem summam, vt sumptus belli & pactionis huius viginti milliones excederent: Vt satisfaceremus cognato Nostro Duci Lonqueuilli & Picardia, & Castro Ambianensi, eos qui illic præerant deposuimus, eorumq; in locum quos volebat, suffecimus, & cum Nobis adiungeremus, quos minus ferre poterat, seiunximus. Cessimus & Nostro cognato CONDEO, cum ad Nos se recepisset, eum locum quem desiderauit in regno, imò ætarium Nostrum illi, omnium iudicio minimè idoneo, cum maximo regni præiudicio, credidimus. Nihilominus Nostrarum gratiarum & fauorum excessus, non valuerunt effrenes eorum Animos coërcere, existimantes nullã sibi esse posse quietem, quam in turbulento Regni Nostri statu. Multa & ante & post aduentum cognati Nostri de nocte in Nostra Vrbe Parisiensi in S. Martino de Schamps, in suburbiis S. Germani sunt habita comitia, quibus interfuere Principes & alij ex nostris primarij, vnde aliqui se subduxêre, fœdã crimen suũ prodentes fugã. Posthæc clandestinis actitatum est colloquiis, in populi seductionem & seditionem compositis, imò in auersionem etiam eorum, qui armis in hac vrbe Nostra præerant, cuiusmodi erant belli Duces & Capitanei. In hac re suam locarunt operam ex Nostris Officialibus non pauci, qui nec omiserunt concitare ipsos parochos & concionatores, ad linguas suas soluendas in verba scandali & offensionis: Vti & alij qui nobiscum agebant Magnates & Nobiles, & ita apertè, vt ij qui talia agitabant, non fuerint veriti denuntiare Reginae Dominae Nostræ &

Martia

Matri, se adeò coniunctos inuicem esse, vt à nemine possint dis-
iungi, seruis eorum palàm proferentibus, à solo Deo posse eos
impediri in regiminis mutatione. Posthæc subsequitur Obsi-
dio Urbis & Castri Peronensis, de qua consilia circa nos agitata
sunt: & quãuis Nobis iusta maximè indignandi, & vi adhibita in-
iuriã Nostræ Authoritati factam ppulsandi, esset causa, nihilomi-
nus condescendimus in omnes ppositiones Nobis factas, vt tota
res suauiter componeretur. Ingrediuntur in urbem 4. peditum
cohortes, per strepentibus tympanis, in certis, & per eos qui No-
biscum sunt designatis locis. Quod ita displicuit omnibus, qui
aliquo Nostræ Authoritatis respectu tangebantur, vt Princeps
quædam Mulier Nostram miserata sortem, Reginae Honoratiss-
simæ Dominæ & Matri, omnes horum factiosorum molitiones
detexerit, curaueritq; Nos moneri, vt caueremus nobis, eò quod
omnia eorum consilia in Nostrum & Nostræ Dominæ Matris
interitum tenderent. Hæc res tãto horrore fuit etiam iis qui hæc
agitabant, vt ipsemet Condeus cognatus Noster, ante suam de-
fensionem ingenuè confessus fuerit Reginae Dominæ Nostræ
& Matri, se in eodem fuisse concilio, seq; merito in suspicionem
venire posse. Addebat tamen, Nos & Reginam Dominam No-
stram & Matrem plus sibi debere quàm propriis parentib. No-
bis iam certum erat, conuiuendo missos facere horum Consilio-
rum authores, eosque ad saniora reuocare; sed subito vnde qua-
que admonemur, cognatum Nostrum Condeum in praua sua
mente persistere. Quidam ex Nostris Regni primoribus ad Re-
ginam Dominam Nostram & Matrem accessit, ei que aperuit, se
vnicorum conuenticulorum interfuisse, vbi de Nostra Persona
tollenda & inuasionem regni ageretur. Eodem tempore alius mi-
sit ad Reginam Dominam Nostram & Matrem, Consiliarium
Nostris Parlamenti, qui Nos commonefecit harum molitionum.
Et postea venit ille idem urgente Conscientia, qui obtestabatur
Nos, vt Nobis prospiceremus, addens, Copias illas quæ in vrbe
Peronensi erant, melius apud Nos fore. Quidam ex præcipuis
huius Regni Prælati ab omni suspicione liber, certiores Nos fe-
cit, ab Authoribus Consiliorum propositum esse, vt iretur ad

Nostram Curiam ad Edicti statuta recipienda, quibus constitu-
tum fuerat, vt Principes Pares Francici & Officiales Nostrę Co-
ronę conuocarentur, ad prospiciendum gubernationi, eamq;
Nobis adimendam. Hęc in vulgus ita iam sparsa erant, vt Legati
Principum exterorum, qui in Nostra Curia agebant, Nobis per
litteras significarent, vt saluti Nostrę prouideremus. Ad Nos et-
iam referebatur, quod in Conuiujs, quę ab ijs qui cognato No-
stro adhærebant, celebrabantur, hoc dictum circumferretur:
Barre à Bas, hoc est, Repagulum inferne: Ad signum eius ad Co-
ronam animum. Eodem tempore sciebamus vnde quaque con-
scribi in Nostro Regno, absque Nostro permisso, Copias ex com-
missione eorum, qui apud Nos erant, & tali quidem licentia, vt
pridię quàm caperetur cognatus noster, educerentur ex hac Vr-
be Parisiensi arma pro tribus hominum millibus. Tandem victa
tam manifesto periculo Nostra patientia, in quo non solum age-
batur de Persona Nostra, sed de toto Nostro Regno, quod No-
bis longè pluris est, quàm vita; ad Deum confugimus, quo in Cō-
silio adhibito, reperimus nullum esse præsentius remedium,
quàm si à Nostro Cognato securi essemus, satis videntes aleam,
quam subiremus. Itaq; eum apud Nos ad Luparam in arce No-
stra detineri curauimus, eaque tractatione, qua fieri potuit in ta-
li casu, honestissima. Et quia cognatus Noster eiusque Affectu,
quam dederant fidem, fregerunt, & pactis Londunensibus non
steterunt, vt nec illis, de Sainte Menehoué, cuius rei fidem fa-
ciunt plus quàm centum & quinquaginta testes, nō dubitamus,
vt sunt hominum ingenia, & animi in Nos parum propensi, quin
plerique hęc essent in partem deteriore accepturi Propterea
voluimus hisce litteris omnes & singulos de Nostra mente cer-
tiores facere, vt prospicere Nobis, Regno Nostro & subditorum
bono; simulque ostendere Nostram clementiam & bonitatem,
tantum eorum obstinatis animis vinci potuisse. Et ideo signifi-
camus, quod in hoc negotio matura deliberatione adhibita, in
Nostro Consilio, in quo fuit Regina Domina Nostra & Mater,
Principes nonnulli Nostrę Coronę Officiales, & alij primarij
ex Consiliarijs, quorum consilia declarauimus, & declaramus
hisce

hisce Sigillo Nostro munitis, quòd per detentionem Cognati
Nostri nequaquam velimus contrauenire iis, quæ acta sunt
Londuni, nec priuare quempiam ex Nostriis subditis, modo sub
Nostraviuat obedientia, fructu & beneficio eorum pactorum,
in quæ concessimus, volumus enim iis fideliter stare in gratiam
eorum, qui in officio & obedientia Nostra perstiterunt; & quo
uerberius Nostra fruantur Clementia, volumus, vt qui Nostro co-
gnato & Consiliis contra Nostrum statum initis, adhæserunt, in-
tra dies quindecim à publicatione præsentium, in Nostriis Parla-
mentis ad Nos reuersi, & Nobis supplices facti, impunes abeant,
omni culpa deleta, & remissa, promittentes eis in Gratiâ No-
stram reditum. Quod si in suo errore perseuerauerint, declara-
uimus, & declaramus eos læsæ Maiestatis reos, volumusq; rigi-
dè secundum leges & statuta Nostra cum illis agi. Præcipimus
omnibus Nostriis Vasallis, Consiliariis Curias Nostras admini-
strantibus, Balliuis, Prouinciarum Præfectis, eorumq; locum
tenentibus, & aliis Officialibus singulis iuxta suum officium, vt
eurent publicari, & obseruari, & omnia executioni mandari.
Hæc est voluntas Nostra. In cuius rei fidem has Nostro Sigillo
communiuimus. Datum Parisiis, 6. Sept. Anno 1616. & Re-
gni Nostri septimo.

Signore Ludouicus

Par Le Roy

De Lomenie.

Signatæ magno Sigillo cera flaua.

W 115 W

Faint, mostly illegible Latin text, possibly a list or inventory, with some recognizable words like 'officium' and 'magister'.

S. G. ...

... Reg.

... Del.

Sigill. ...

24

101




RK X190376
374,
38.

SS

PH

DEF

PROM



KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak

LICENSED PRODUCT

3/Color Black

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White

REGIS.

DE-
MIN
NCIPIS

RVM PRIN

ilium, pro-

DENTE REGE



BIBLIOTHECA
ONICKAVIANA

ALBINI.

